

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (12)

Idem (Ieronimus):

Si carnem sequeris, in carne punieris.
Si in carne delectaris, in carne cruciaberis.
Si curiosas vestes requiris, pro ornatu subter te sternetur tinea,
et operimentum tuum erunt vermes.
Iustitia enim dei aliud iudicare non potest,
nisi quod merentur opera nostra.
Qui enim plus diligit mundum quam deum, seculum quam claustrum,
gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem,
sequitur dyabolum et ibit cum eo in supplicium sempiternum.
Quis tunc meror, quis luctus, que tristitia,
cum separabuntur impii a consortio sanctorum, et a visione dei,
et traditi in potestate demonum, ibunt cum ipsis in ignem eternum,
ibique semper erunt sine fine in gemitu et luctu.
Procul quippe a beata paradisi patria exiliati,
cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri,
nunquam refrigerium adepturi,
sed per milia milium annorum in inferno cruciandi,
nec inde unquam liberandi, ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur,
nec qui torquetur, aliquando moritur.
Sic enim ignis ibi consumit ut reservet,
sic tormenta aguntur ut semper renoventur.
Iuxta vero qualitatem culpe penam sustinebunt unusquisque gehenne,
et similis culpe rei suis similibus iungentur cruciandi.

Si carnem sequeris, punieris in carne;
si in carne delectaris, cruciaberis in carne.
Si curiosas vestes requiris, pro ornatu vestium subter te sternetur tinea,
et operimentum tuum erunt vermes (Isai. xiv, 11).
Iustitia enim Dei aliud iudicare non potest,
nisi quod merentur opera nostra.
Qui enim plus diligit mundum quam Deum, saeculum quam claustrum,
gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem,
sequitur diabolum, et ibit cum eo in supplicium aeternum.
Quis, putes, tunc moeror erit, quis luctus, quae tristitia,
cum separabuntur impii a consortio sanctorum, et a visione Dei:
et traditi in potestatem daemonum, ibunt cum ipsis in ignem aeternum,
ibique semper erunt sine fine in luctu et gemitu!
Procul quippe a beata paradisi patria exsulantes,
cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri,
nunquam refrigerium adepturi;
sed per millia millium annorum in inferno cruciandi;
nec inde unquam liberandi, ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur;
nec qui torquetur, aliquando moritur.
Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet;
sic tormenta aguntur, ut semper renoventur.
Iuxta vero qualitatem culpae poenam sustinebit unusquisque gehennae,
et similis culpae rei suis similibus jungentur cruciandi.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3.10 (PL 184, col.491C-492A).